

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. Qui in diuinis, atque etiam profanis litteris, insepulti, meritò à bestijs  
sint deuorati?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

## C A P V T   L X V .

Malè sepulchorum exempla.

**D**Orrò cur bonis mala subinde sepulchra, vel nulla con-  
tingat, aut quid illis noceat, postea discutiemus. Nunc  
malis vel nullam, vel malam sepulturam contingere  
haud immeritò, ostendemus. Nulla contigit vxori Lot. Caus. Gen. 19,  
sam & Scriptura, & Iosephus indicat: *Vxor Lot, inquit, cùm re- I.*  
*spiceret sàpe ciuitatem, & eius curam haberet, interdicente Domino,*  
*nefaceret, in statuam salis conuersa diguoscitur. Vidi siquidem eam:*  
*bastenus enim manet. Nimirum ipsa sibi monumentum est, aliud*  
*non habet. Nam & in Scripturis anonyma est. At cur in statuam*  
*salis conuersa est? Ut pœna peccato corresponderet, & in quo*  
*peccauerat, in eo etiam puniretur. Nam si Hebræis à Lyranō*  
*relatis credimus, fuit mulier illa non modò curiosa, sed etiam*  
*inhospitalis. Dicitur enim, vespere præcedente, marito suo, ad*  
*condiendos pro Angelis cibos, sal porrigere noluisse, quòd in-*  
*star ciuium Sodomiticorum, erga peregrinos male affecta esset.*  
*Ne ergo illi insulta feminę sal deesset, ipsa est in salem commuta-*  
*ta. Sed quidquid sit de hac Hebræorum narratione, inobedien-*  
*tia, & curiosus illius respectus, sufficiebant ad eam sepulta-*  
*priuandam. Simili priuationis pœna punitus legitur impius*  
*Iason, qui multos de patria sua expulerat, peregrè perit, Lacedemo- 2. Machab. 5,*  
*nus profectus, quasi pro cognatione ibi refugium habiturus: & qui in- 9v*  
*sepultos multos abjecerat, ipse & illamentatus, & insepultus abicitur,*  
*sepulturā neq; peregrinā usus, neq; patrois sepulchro participans. Vbi*  
*vides legem talionis, etiam illis filijs metuendam, qui parcitate*  
*quadam dementati, paterni, vel materni funeris sumptus, quan-*  
*tum possunt, contrahunt; digni utique ut illis paria ab hæredib;*  
*suis referantur. Sunt in diuinis libris complura eiusmodi*  
*exempla. Siquidem & quinq; reges Amorrhæi insepulti abjecti*  
*sunt: Dauid amputatum Palæstini gigantis caput Hierosoly- Ios. 10,*  
*mam inculit, corpus eius volucribus & feris dilaniandum reli-*  
*quit, justa talione. Quippe, sicut Philistæus dixit ad Dauid: *Veni 1. Reg. 17. 46.**  
*ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cali, & bestijs terra; ita re-*  
*spondit Dauid: *Dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te,**  
*V u v & aufse-*

¶ auferam caput tuum à te: & dabo cadaverā castrorum Philistij  
hodie volatilibus cali, & bestiis terra: ut sciat omnis terra, quia est  
Deus Israël. Idem contigit Achab regis impiæ uxori Iezabel,

4. Reg. 9. 33. quam mandato Iehu de fenestra precipitauerunt, affersusq; est  
sanguine paries, & equorum ungula conculcauerunt eam. Cumq;  
introrsus esset, ut comedaret, biberetq;, ait: Ite, & videte maledi-  
cam illam, & sepelite eam: quia filia regis est. Cumq; issent, ut sepe-  
lirent eam, non innenerunt nisi caluariam, & pedes, & summas ma-  
nuis. Reuersiq; nuntiauerunt ei. Et ait Iehu: Sermo Domini est,  
quem locutus est, per seruum suum Eliam Thesbiten, dicens: In agro  
Iezrabel comedent carnes carnes Iezabel, & erunt carnes Iezabel sicut  
stercus super faciem terra in agro Iezrabel; ita ut pretereantur dicant:  
Haccine est illa Iezabel? Cuius enim anima tricipiti Cerbero de-  
bebatur, rectissimè etiam carnes famelici venatorum molossi  
devorauerunt. Non apponam, quæ de Ioachim rege à Nabu-  
chodonosor capto, occiso, & ante muros Ierosolymitanos in-

Ioseph. li. 10. sepulto abjecto, deque Arrano & Iehu Pontificibus à Zelotarum  
Antiq. cap. 8. manu interfectis, ac sine tumulo relictis Iosephus refert;  
& lib. 5. de nec quæ de Bessi Bactrianorum præferti corpore à Darij regis  
bell. Iudaic. cap. 1. & 2. consanguineis conciso fundisque hinc inde dissipato memoran-  
tut: nec quæ leguntur de Aristocrate Arcadum rege, extra fines  
itidem insepulto, rejecto; nec quæ de Cleomene pelle nudato,  
& cruci affixo, apud Plutarchum aliosque, leguantur. Quid mi-  
rum est, si in eorum corpora saevitum est post mortem, qui viui  
in vivos saevierunt? Quis non dicat Ioannem Leidensem Ana-  
baptistarum regem meruisse, ut caueæ ferreæ vice feretri impo-  
sus suspenderetur? Si homines indignum pomposo funere ho-  
norant, adeo Deus, & corrigit funeris rationem.

II. Narrat Hieronymus de Florentia in vita P. Caspari San-  
P. Hieronymus. chez, nobilem Hispanum sine pœnitentia defunctum, hominem  
de Florentia prædiuitem, elatum domo magnâ pompa, ingenti comitantium  
in vit. P. Ca- caterua. Dixisset triumphum victori institutum; sed non diu  
sparti Sánchez. c. 13. Pag. 12. duraturum. Exorta est enim repente, dum proceditur, tam saeu-  
& atrox tempestas, ut in funus prodeentes necesse esset omnes  
dissipari, & quæ quisque proximè posset, sub tecta se recipere.  
Ob intolerabilem autem cadaveris factorem res moram non  
patieba-